DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

STRUMÆ NATURA ET CURATIONE.

2.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

STRUMÆ NATURA ET CURATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ISAACUS PIDDUCK,

CANTIUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOCIUS.

Sunt quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quicquam in futurum præsagiri potest.

Inter initia non difficillima curatio est. At si malum inveteravit, non sine magna molestia discutitur. CELSUS.

IV. Nonas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

ISAACO PIDDUCK,

SUO PATRI CARISSIMO ET DILECTISSIMO

ET AMICO OPTIMO,

ISAACUS PIDDUCK.

Nulla occasio, PATER *carissime, unquam opportunior mihi accideret grates Tibi persolvendi pro cura et solicitudine cum quibus vota disciplinæ mea adjuvisti.*

Hoc igitur tentamen, leve pignus amoris, cum summa testificatione tuorum in me officiorum, accipias oro.

VALE.

RICHARDO EMMERSON,

ARMIGERO,

COL. REG. CHIRURG. LOND. SOCIO,

&c. &c. &c.

QUI PRIMUS MEDICINÆ SCIENTIA

ET LITERARUM STUDIO

EUM IMBUIT;

NECNON

JACOBO SANDERS, M. D.

DE THEORIA ET PRAXI MEDICINÆ

IN HAC URBE PRÆLECTORI,

SOC. REG. MED. ET SOC REG. PHYS. SOCIO EXTRAORD.

&c. &c. &c.

QUI

PARVAM EJUS DOCTRINAM PROMOVIT AUXITQUE

ET

QUÆCUNQUE IN HOC TENTAMINE ÆSTIMARENTUR

EUM DOCUIT,

QUORUM HONORES SEMPER LAUDESQUE MANEBUNT,

GRATIARUM ET BENEFICIORUM

MEMOR,

HOC OPUSCULUM,

DICAT DEDICATQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

STRUMÆ NATURA ET CURATIONE.

Auctore ISAACO PIDDUCK.

QUÆDAM de morbo quem **strumam** Latini et χοιραδα Græci appellant, verens, prolaturus sum. Hic morbus, potius quam pestilentia ipsa, pestis generis humani habendus est; quia per cunctam terrarum orbem, omnique ævo, hic nusquam quidem non fuit. Scriptores plurimi neque parvæ scientiæ nec famæ de hoc tractaverunt, quare

 mihi

mihi in dubio est an aliquid exhibere novi tentare me decet.

Inter hos tamen tanta diversitas et dissimilitudo et discrepatio est, ut nullis opinionibus eorum confidere possimus; vel ex his discere ubi in humano corpore hic morbus sedem capit, aut quis est optimus modus medendi.

Priusquam aliquid de Struma speciatim dicam, animum ad opiniones prævalentes de variis statibus humani corporis, qui prædisponent ad evolutionem quorundam morborum, vertere oportet; enim, ut Celsus ait, "Sunt quædam proprieta-
"tes hominum, sine quarum notitia non facile
"quicquam in futurum præsagiri potest."

Antiquiores medici proprietates quatuor vel varietates constitutionum notabant, quæ *temperamenta* designabant, sanguineum scilicet, melancholicum, cholericum et phlegmaticum.

Sed hæc divisio nec in vera corporis scientia, nec in ratione, originem habet. Præterea in morbis removendis vel allevandis, ad aliquid utile non ducit.

Quare, etiamsi nostro Gregorio monemur,
"Nefas certe foret nomina mutare quæ in omni-
"bus

"bus oris sunt et bene intellecta," ausus sum adhibere aliam divisionem quæ, veluti mihi apparet, medicum perspicua ratione judicare de quoque morbo et eum sublevare dirigit.

In loco vocabuli *temperamentum* suppono nomen *diathesis* (a *διατιθημι, dispono.*)

In humano genere etiam quatuor sunt diatheses; Inflammatoria, scilicet, Typhoidea, Scorbutica, et Strumosa. Hæ frequentissime commistæ plurimas exhibent diversitates; sed in omni varietate, diathesin prævalentem medicus expertus facile discernit; atque ita methodum rationalem tractandi sequitur.

Diathesis Inflammatoria dignoscitur vivido et constanti vultus colore; pulsu frequentiore et validiore; stimulo, sive aqua frigida sive merum sit, dato, motus sanguinis et calor animalis æquabiliter toto corpore diffusi sunt; omnibus secretionibus et excretionibus, sano in modo, perfectis; corpore robusto et ad omnem laborem valenti. Tamen hic status secundæ valetudinis, adeo optabilis et expetendus, febribus inflammatoriis et morbis inflammationem habentibus, imprimis obnoxius est.

Diathesis

Diathesis Typhoidea, contra, subfusco vultus colore; oculis flavidis et hebetibus; pulsu tardiore et debiliore; frigore et livore extremorum; concoctione, secretione et excretione tardis et interdum impeditis, insignitur. Hæc diathesis, febribus, quæ ad putredinem, et ulceribus quæ ad gangrænam tendunt, maxime opportuna est.

Proximum fere huic diathesis Scorbutica locum occupat. Præter hæc jam dicta indiciis quæ sequuntur, nempe, sanguine nigro et non coagulanti, per vias naturales fluenti, et ex gingivis minima injuria effuso; maculis lividis per cutem erumpentibus; animo hebeti, torpido et exercitationis fastidio notata est.

Diathesis autem Strumosæ hi sunt characteres, quibus ea ab aliis dignoscenda est; nempe, cutis marmorea et delicatissima; magnæ venæ cœruleæ per cutem translucentes; tunicæ albugineæ oculorum colorem margaritæ referentes; pupillæ dilatatæ; vasa inter tarsos sanguine turgentia; crines, supercilia, et oculi aliquando fusci, nonnunquam tamen nigri; dentes peralbidi; et niveo lucet in ore eximius rubor.

Homines

Homines tali constitutione præditi, præter solitum agiles et sentientes observantur ; ingenium præcox, animum lætum et hilarem aliquando levem, habent.

Ad morbos autem plurimos nunc lente et sine dolore progredientes, (non eo tamen minus lethales), nunc quam celerrime miseros rapientes, proclives sunt.

Struma morbus hæreditarius recensenda est, quoniam ex peculiari corporis structura, quæ, a parentibus ad liberos tradatur, originem ducit.

Causa debilitanti applicata (veluti sanguine magna in copia amisso, vel aliis exinanitionibus magnis), diathesis strumosa in corpore prius sano producatur.

Morbis præsertim infantium acutis struma, quæ eorum morborum *fæces* vulgo appellatur, excitata sit.

Matres menorrhagia et fluore albo laborantes et sæpe abortantes, et viros vino et venere enervatos, liberos debiles procreare observatum est ; qui ætate ineunte, tabe, hydrocephalo acuto, introsusceptione intestinali, convulsione vel diarrhœa, plerumque sunt interempti.

Hoc

Hoc vero, quod multum refert, fere ignotum est, hos, impetu sanguinis pulmonem versus aucto, quod annum inter quindecimum et vigesimum quintum accidit, phthisicos fieri, et florenti ætate, ad manes descendere.

Cadaveribus liberum sectis, qui morbis jam memoratis perierunt, lymphæ punctis coagulatæ extremitates bronchiorum impletas sæpe vidi. Sic apparet fundamentum morbi certe lethalis in pulmone ab origine poni, qui nisi hæc diathesis ineunte ætate corrigatur postea amoveri non potest.

Struma, nonnullis auctoribus, morbus vasorum et glandularum absorbentium existimatur.

Cum vero functiones partis cujusque lædantur, quæque pars corporis ita cum aliis conjungitur; ut nervi, vasa sanguinea et absorbentia necessarie involvuntur.

Diathesis strumosa de nervorum debilitate et vi contrahendi vasorum imminuta, clare pendet. Morbi ex hac diathesi orientes in iis corporis partibus primo conspiciuntur, quæ ex vasis pellucidum tantum laticem vehentibus constant, nempe ex arteriis et venis capillaribus, nervis et absorbentibus

absorbentibus conjunctis. Maxima pars corporis, scilicet glandulæ, cutis, membranæ cellulares, serosæ et mucosæ, cartilagines, musculorum tendines, ligamenta et artuum bursæ mucosæ, ossium epiphyses et ossa ipsa, ex his minimis vasis formantur. In iis vero omnibus partibus struma sedem habet, et unusquisque morbus ex partibus affectis nominatur.

Cum causæ strumæ prædisponentes et excitantes ex omnium experientia ita apparent, eas sigillatim enumerare haud necessarium est; ad rem vero magis momenti procedendum est nobis, nempe ad methodum optimam morbis occurrendi et curandi.

Si naturam diathesis strumosæ, et vitia ejus animadvertemus, nos eorum impetum prævenire oportet; quia stadia producta et inveterata scientiæ medicæ nunquam cedent.

Remedia idonea adhibendo medici periti functiones organorum corporis, structura adhuc integra, impeditas expedire, aut nimis validas cohibere, possunt; sed partes vitiatas restituere hoc opus, hic labor Naturæ est.

Iis

Iis morbis, qui parentibus adsunt proles debiles et degeneros creantibus, occurrendum est nobis; eorumque constitutiones roborando et confirmando, quorum ingenium et animus decoratus genus humanum ornarent, conservamus.

Remedia evacuantia (scilicet, missio sanguinis et purgantia) non æque impune, in hominibus diathesi strumosa affectis, quam in iis habitus firmioris usurpantur; contrà vero stimulantia, intra certos fines, multo magis necessaria sunt. Etiam incitabilitas eorum deficit. Itaque in infantia quoque, diæta plus nutrienti et stimulanti, quam usitate iis datur, sicut victu carnoso et vini aliquantulo, opus est. Vestimenta eorum ad anni tempestatem aptanda, et fortasse in hac regione vestes laneæ cuti proximæ semper induendæ sunt.

Expositio frigori cum humiditate caute cavenda est. Exercitatio ætati ac viribus ægri adaptata magnopere prodest; et totum corpus ammonia oleo adjecta perfricandum est, cum propter ægrotatem exercitatio in aëre puro adhiberi non potest.

CELSUS strumam ita descripsit, et hoc modum tractandi posuit.

"Struma quoque est tumor, in quo subter "concreta quædam ex pure et sanguine quasi "glandulæ oriuntur: quæ vel præcipue fatigare "medicos solent: quoniam et febres movent, "nec unquam facile maturescunt; et sive ferro, "sive medicamentis curantur, plerumque iterum "juxta cicatrices ipsas resurgunt; multoque post "medicamenta sæpius: quibus id quoque accedit, "quod longo spatio detinet.

"Nascuntur maxime in cervice; sed etiam in "alis, et inguinibus, et in lateribus. In mam-"mis quoque fœminarum se reperisse, MEGES "auctor est. Propter hæc et album veratrum "recte datur, atque etiam sæpius, donec ea di-"gerantur: et medicamenta imponuntur, quæ "humorem vel educant, vel dissipent. In pri-"mis multa calida aqua fovendum est, in qua "rapa decocta; aut si ea non sunt, aliquæ ver-"benæ ex reprimentibus. Si nondum adaper-"tum ulcus est, æs, quam maxime calidum quis "pati potest, admovendum est. Si jam exul-"ceratio est, imponi debet alumen æqua portione

"cum thure contritum, vino adjecto; aut ma-
"licorium in aqua coctum, deinde contritum.
"Adurentibus quoque quidam utuntur, quæ
"exedant, crustaque eum locum adstringant:
"tum vero ut ulcus curant. Quæcunque autem
"ratio curandi est, corpus, puro ulcere, exercen-
"dum et alendum est, donec ad cicatricem per-
"veniat. Quæ cum medici doceant, quorun-
"dam rusticorum experimento cognitum, quem
"struma male habet, eum si anguem edit, li-
"berari *."

Præter ea, quæ CELSUS præscripsit, aqua marina potui data, et plurima alia remedia multum laudata fuerunt; sed quis unquam abierit sanatus?

In hominibus diathesis inflammatoriæ, glandulæ iisdem morbis quam aliæ corporis partes obnoxiæ sunt; tument et rubent, cum calore et dolore; ad suppurationem spectant, et, pure blando et albo effuso, abscessus cito curantur.

Tumores glandularum vero in diathesi strumosa

* Vid. CELSUS, V. C. XXVIII.

mosa multo magis graviores sunt, quamvis in initio ægros neque dolent nec terrent.

In primis hæ glandulæ lente tumescunt et indurescunt, et subter integumenta mobiles manent. Sed quamprimum glandulæ partibus vicinis adhærent, cutis eas tegens subrubicunda fit et deinde ulcerata. Exit sanies non multa sed tenuis, et materia concreta vasis minimis corruptis atque erosis mista. Odor malus neque in ulcere, neque in ejus humore est. Ulcus oras duras, callosas, tumentes habet, et tarde sanescit. Tenuis nonnunquam cicatrix inducitur, quæ iterum rumpitur, et ulcus sæpe renovatur.

Hæ glandulæ in cervice et inguinibus orientes, necdum ad exulcerationem spectantes, tussi et diarrhœa comitantibus, illas bronchiorum et mesenteriæ pari in modo tumescere indicant. Æger tandem phthisi vel tabe consumptus, morti optatæ succumbit. Sectione cadaveris facta, hæ osseæ, cartilaginosæ, vel materiam calci vel caseo similem continentes inveniuntur. Glandulæ secernentes obstructioni aliisque morbis strumosis non secus ac eæ, quæ ad vasa resorbentia attinent, opportunæ sunt.

Hinc

Hinc sæpe tumor insignis et mira durities, non modo sine dolore, sed sæpe cum minuto partis affectæ sensu; qualia sunt jecur, renes, testes, tonsillæ parotides, et cætera quæ oris humores secernunt organa. Glandulis intumescentibus adhuc duris, et integumenta subter mobilibus, tumores ex congestione fluidorum in vasis minimis oriuntur; itaque eorum contractionem promovendo validiorem, (eos implendo fluidis magis stimulantibus per diætam bene nutrientem et medicamenta, quæ diathesin prevalentem corrigere possunt), glandulæ detumescentur, albor cutis marmoreus cum colore minus nitido sed sano magis et constanti commutabitur, tussis et alvi fluxiones tollentur, et prospera valetudo ægro restituetur.

Murias calcis omnia inter remedia vasis corporis minimis ad stimulum dandum, et ad contractionem juvandum, experimentis multis optimum esse comprobavi.

Hoc late adhibitum Jacobo Saunders, M.D. Edinensi, nuper vidi, et quandocunque glandulæ tumidæ in statu jam memorato sint, exitu semper

per felici. Cum glandulæ autem partibus vicinis concrescant et molles fiunt, quibus indiciis structura sua videtur esse corrupta, aut cum suppurant et exulcerant, murias calcis oras ulceris duras, callosas, et tumentes tantum amovet, et sanius efficit pus; mihi saltem apparet in ulcere sanando parum adjuvare.

Decoctum * sarsaparillæ compositum etiam, quocunque casu utili operationi muriatis calcis in morbis strumosis curando, magnopere opem ferre inventum est.

" Frictio cum omnibus in homine vertebris " utilis sit, tum in iis præcipue, quæ in collo " sunt. Ergo die nocteque, interpositis tamen " quibusdam temporibus hoc remedio utendum " est †."

Ut

---

* ℞ Sarsaparillæ pulv. ℥ j.
Gentianæ pulv. ℥ ss.
Zinziberis pulv. ʒ ij.
Aq. fontanæ qs. ut una decoquantur ad lb. ij. Adde Sp. Lavend. c. ℥ ij.

† Celsus.

Ut hanc rationem medendi explicarem historias paucas narrabo.

HISTORIA PRIMA.

Die v. Cal. Novembris MDCCCXVIII. A. B. æt. 28. marita. Decem abhinc mensibus, dolore acuto et lancinanti in mamma sinistra ad axillam in eodem latere tendenti, primo afficitur. Apud mammam et alam sinistri lateris glandulæ gradatim intumescunt et indurescunt. Submurias hydrargyri ei sine beneficio exhibitus est.

Mensibus quatuor sequentibus, solutionis muriatis calcis drachmas duas ter indies cepit. Muriate calcis per intervallum dierum octo, in diebus triginta et sex omisso, in ejus loco decocti sarsaparillæ compositi cyathum ter indies bibit. Linimentum stimulans nocte maneque in mamma et axilla perfricatum est. Diæta bene nutriens jubetur. His remediis sine intermissione ad hoc tempus usque constanter servatis, nunc glandulæ discutiuntur et dolores abierunt.

HISTORIA

HISTORIA SECUNDA.

C. D. puella annos ad octo nata, omnes characteres diathesis strumosæ clare notatos habuit. Glandulæ concatenatæ in cervice, alis, et inguinibus tumidæ, duræ et mobiles sunt; tussis sicca et gravis; alvus nunc adstricta nunc soluta est; corpus marcescit.

Habeat solutionis muriatis calcis guttas XL. ter in dies, per quatuor hebdomadas; et, spatio octo dierum intermisso, ut antea pergat. Per omnes vertebras, cervicem, alas, et inguines, linimento stimulanti nocte maneque fricetur, et diæta bene nutrienti utatur.

His remediis perseverans, ad sanitatem perfectam puella rediit.

HISTORIA TERTIA.

PRIDIE ante Nonas Decembris MDCCCXVIII. E. F. juveni annos viginta et duo nato, hydrargyrum ad bubonem in inguine curandum siphi-

liticum

liticum esse judicatum, exhibitum fuit. Glandulæ cervicis magnopere tumidæ, et congeries una latere dextro mollis et immobilis est, cutisque subrubicanda facta cito exulcerare apparet. Dolor ingens sub sterno, inspiratione plena et tussi sicca et grave, per noctem magis urgenti, auctus, etiam adest. Dentes fere omnes molares in ambobus maxillis cariosi sunt. Emplastrum cantharidis sterno applicandum, quod per sex hebdomadas continuebat; alvum ducendam; misturam pectoralem; et diætam lactis et farinæ, vino et cibo carnis interdictis, medicus quidem præscripserat.

Hac ratione medendi omnia symptomata indies ingravescere, et ejus amici ipsius saluti perterriti fuere. Medico alio arcessito, dentes cariosos extrahebat; cutem sterni vesicatorio ulceratam sanabat; solutionis muriatis calcis drachmas septem statis per diem vicibus; tres cyathos vini bibere; diæta cibi ex carne uti; et linimentum stimulans per glandulas tumidas fricare, jubebat.

His remediis glandulæ exulceratæ cito sanabant, et aliæ detumescebant: tussis et dolor pec-

toris

toris decedebant: appetentia ciborum augebatur: vires speciesque corporis proficiebantur: et nunc ipse sanus evadit.

HISTORIA QUARTA.

G. H. puella annos ad quatuor nata, mense vitæ suæ nona dentes primores accipit; et tum alvi fluxus supervenit, quem reprimere nulla remedia efficacia erant. Autumno MDCCCXVII, pertussis eam tentat, quæ prope littora brevi habitando curata fuit. Nonis Decembris MDCCCXVIII, scarlatina eam tentat; et XIV die ante calendas mensis hujus, glandulæ cervicis tumescunt, et dextro latere congeries una, mollis et fluctuans, instar ovi cito tumet; vertebræ lumborum deorsum gibbosæ sunt, diarrhœa adest et corpus marcescit.

Habeat solutionis muriatis calcis guttas quadraginta ter indies, diætam nutrientem et vini aliquantulum; glandulis suppurantibus malagmata applicentur; per omnes vertebras, et collum, linimentum stimulans nocte maneque bene fricetur.

 His

His remediis ad hunc diem utens, ulcus cervicis sanescit, glandulæ discutiuntur, gibbositas abit, et hodie ipsa perfecte valet.

Homines diathesis strumosæ glandulis tumidis obnoxii, hydarthro et rachitidi in infantia, et mollitiæ ossium ætate provectiore, vero opportuni sunt: quidem hi morbi sæpius illis comitantur, quoniam de statu constitutionis eodem manifeste pendent. Ut omnes morbi strumosi, ita tumor artus (hydarthrus scrofulosus) tarde et lente procedit, et quo magis rigiditas artus increscit eo magis tumor ipse augetur; color cutis naturalis diu manet, et omnia signa inflammationis tumor nisi desunt: tandem superficies ejus subrubicunda et exulcerata fit, sanies exit, ossa cariosa fiunt, et æger febre hectica exinanitus morti libenter cedit.

Cucurbitulæ cruentæ, hirudines, epispastica et fomenta iis applicare, hos tumores maximo in usu tractandi methodus est. Quies ad anchylosin promovendam monetur; et, si habitus corporis irritamento locali obsistere valeat, æger ad salutem, membrum vero ad motum nunquam redeat.

Vitium

Vitium ab contractione imminuta vasorum resorbentium, dum tumor hujusmodi nec doleat nec colorem mutet, originem ducit.

Hic interdum ita indurescit, ut ossa ipsa vitiosa videantur, quamvis fluida tantum manifeste in eo continentur. Horum igitur vasorum contractionem restituere oportet.

Hos tumores diligenter perfricando et fasciis circumdando pro tempore abire, sed his omissis sæpe redituros iri, et ægros perire, inventum est. Verum enimvero muriatem calcis, diætam nutrientem et exercitationem pro viribus corporis adhibendo, ad diathesin strumosam corrigendam, regressus eorum tumorum revera obstentur. Sed tumor interdum rubescit et vehementer dolet; tum vasa capillaria, arteriæ nempe et venæ sanguine rubro turgent: periculum nunc maximum ne partis structura corrupta sit, adest.

In hac tumoris conditione, partem aqua frigida et aceto refrigerare, deinde perfricare ut antea, et fasciis circumligare, necesse est.

Sed si tumor non doleat, neque frictionum nec fasciæ usu minuatur, calefacientia verum, præcipue

pue ex sinapi, et fomento calido*, ad vasa minima stimulanda sæpe magno cum fructu parti applicantur.

Instrumentum quoque idoneum ad onus corporis superincumbens sustinendum, maxime curationem adjuvat; vero cavendum est, ut motum artuum non impediat.

An genu, an coxa, vel quicunque artus hoc modo affectus sit, eadem medendi ratione opus est; et quo juniores ægroti, et quo recentiora sunt vitia, eo curatu faciliores. Sed quamvis annis duobus vel tribus labentibus exitu parum felici, attamen non est desperandum.

HISTORIA QUINTA.

XII. Cal. Januarii MDCCCXIX, J. K. puella æt. V. mensibus duodecim lapsis, de sella cecidit. Post hanc injuriam levem, genu dextrum lente tumescit, sed nisi sub motu non dolet.

Appetitus

---

* ℞ Opii ʒj.
  Aquæ bullientis lbj. Solve, et adde Aquæ ammoniæ ℥j.

Appetitus ciborum, viresque corporis cito deficiunt, et corpus marcescit.

Eam cum prius viderem, artum valde tumidum, rubrum et dolentem, ultra angulum rectum porrigere non possit. Aqua frigida cum aceto mista refrigeretur genu; linimento stimulanti bene fricetur; et fascia circumdetur. Instrumentum ad cruram porrigendam, et ad onus corporis superincumbens sustinendum, aptetur.

Habeat solutionis muriatis calcis guttas XL. ter in die, cum diæta bene nutrienti.

His remediis per sex menses adhibitis, tumor artus discutitur; eum porrigit; sine ullo impedimento ambulat, et viribus corporis florentibus nunc abit sanata.

Ad hydropem ovarii curandum, muriatem calcis efficacem esse Doctor HAMILTON in prælectionibus suis testatur. Hoc multis ægrotis esse remedium, dummodo vires corporis integræ sunt, quamvis sensus fluctuationis in ovario evidentis sentitur, ipse, inter annos quatuor jam lapsos, invenit.

Diathesi

Diathesi strumosa et quibusdam ejus morborum depictis, et methodo eorum curandi breviter descripta, nihil amplius superest nisi, quam alii, his rebus utentes, eventus utinam ita prosperos haberent, ut plurimis exemplis nuper viderem.

"Vale: si quid novisti rectius istis,
"Candidus imperti: si non, his utere mecum."

HOR.

FINIS.